Diſtantiæ autem Perihelia æſtimantur in ejuſmodi partibus, quales mediæ diſtantiæ terræ a ſole habet centies millenas.

II. Epiſtola à *Joh. Jacobo Hubero* M. D. ad *Cromwell Mortimerum* R. S. Secret. de *Cadavere aperto*, in quo non extitit *Veſica fellea*; et de *Sterno gibboſo*.

Read April 6 1749.

NON ſine aliquo literario munuſculo ad te celeberr. *Mortimere*, adire fas eſt, virum humaniſſimum quidem, ſed eundem etiam talium rerum avidiſſimum, quibus a iqua pars illius cognitionis contineatur, in qua augenda et publicanda illuſtriſſima Societas, cujus tibi acta commiſſa ſunt, elaborare ſolet. Supereſt, ut hic aliquid invenias ab illo inſtituto non abhorrens. Volui certe aliquem tibi guſtum quaſi dare, quid, præter ſcopum primarium, fabricam corporis humani docendam Medicinæ, Chirurgiæ præſertim ſtudioſos, ſpectare in quotidianis cadaverum humanorum ſectionibus, in *Theatro Collegii* apud nos *Carolini* inſtitutis, conſueverim, et cujus generis obſervationes expectari porro, ut in rebus humanis, a me poſſint.

Obſervationes autem e pluribus duas hic ſpeciminis et guſtus cauſa breviter deſcribam, unam quæ vitiatam, eoque ipſo ſingularem ſiſtit partis corporis humani ſtructuram, ſimulque uſum arti ſalutari præſtare nonnullum videtur; alteram, quæ œconomiæ corporis noſtri ſingularem præbet mechaniſmum, quo etiam phyſiologorum diſcrepantes de bile cyſtica ſententiæ

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775)*. www.jstor.org

tentiæ conciliari forte poterunt. Hepar hæc exhibet, veſiculæ felleæ penitus expers.

FEMINÆ cadaver erat, ſexaginta circiter annorum, demonſtrationibus anatomicis inſerviturum, proximo anno in auditorium *Carolinum* inter plura alia allatum, in quo reperi magnum valde hepar, et præter morem craſſum; ſed lobum ejus dextrum parte concava omni carentem. Nullum nec ſulci nec excavationis pro recipienda veſicula fellea offerebatur veſtigium, ſed univerſus lobus ille erat ab utraque parte, tam quæ inteſtina attingit, quam ab altera, quæ diaphragmati ſe accommodat, lævis, æqualis, atque in primis tumidus, utrimque convexus atque eminens, et quaſi rotundus. Uti in hoc lobo, ita et in omni alia hepatis parte veſiculam felleam fruſtra quæſivi: nec quidquam vicinæ partes referebant cum veſicula comparandum, aut condi bilis ſecundarii vices defungens; contra pro more partes reliquas omnes vidi formatas. Iſte vero veſiculæ defectus ductus hepatici amplitudine, præter omnem conſuetudinem magna, reſarciri videbatur, quæ digitum minimum admittebat. Ille quamvis juſto, et ſuo loco conſtitutus, ordinariaque via incedens, in eo tamen erat ſtructuræ ſingularis, quod tunica craſſitie ſua arteriarum tunicis fere eſſet æqualis: non illa tamen alba, ſed tota quanta ſubrutea, intus villoſa, ex punctulis ſeu exilibus maculis, totidem, puto, follicuios ſimplices referentibus, non paucis notata. Ab hepate aduſque duodenum eandem ſervabat ductus ille diametrum, ſicque cum vena portarum fere confundebatur: ubi vero duodeni tunicas attigerat, eaſque ſubierat, ſepoſuit mox nimiam illam amplitudinem, et conſuetæ papillæ, in duodeni cavo eminentis miniſterio

quæſivit,

quæſivit, et per omnem mulieris vitam, puto, habuit exonerationem. Pori in hepate biliarii, ſeu rami ductus illius magni conſpiciebantur plures, ab utroque lobo confluentes, arteriarum in morem ampli valde, et ad ultimam fere hepatis peripheriam facile proſequendi, extus lutei omnes intus bile infarcti. Amaram ſat continebant bilem, nec copia paucam ductus omnes, et præſertim magnus ille, extra hepar formatus. Illam ductus amplitudinem condi ſeu veſiculæ felleæ loco fuiſſe, arbitror, et illius uſus, uti in eo in immenſum diſtento bilis, in hepate ſecreta, nec omnis ſtatim excernenda immorari commode poſſet, et ibidem mora ſua reddi acrior; atque tunc demum, quando verum digeſtionis tempus ingruebat, evacuari copia et acrimonia præſtantior. Præſtare ut potuerit hæc ductuum amplitudo condi officium, adjuvabant porro folliculi ſimplices, per omnem ductus magni tunicam intus diſperſi, blandum pro natura ſua effundentes humorem, quo univerſus ductus ab acrimonia remanentis bilis defenderetur, ſicque ibidem ad juſtum majoris evacuationis tempus ſervari ſuperflua commode poſſet. Similem itaque ſtructuram referebant ductus illi ampliores, qualis veſiculæ felleæ ordinario eſſe ſolet.

Hoc exemplum, rariſſimum quamvis de novo me declinat ab eorum phyſiologorum ſententia, qua vel veſiculæ tribuitur ſtructura propria, ad ſecernendam bilem ſuam apta, vel ductus aſſumuntur cyſt-hepatici vel hepatico-cyſtici, et ita ſimplicis condi officium denuo adſcribo veſiculæ felleæ, quod in diſſertatione mea inaugurali jam monui.

Ob argumenti affinitatem hoc inſuper hic addam; vidiſſe me Argentorati ante hos xv annos in recenti cadavere

cadavere humano ductum cysticum atque cholodochum ita distentos, qui facile admitterent digitum. Calculis vero debebatur valida illa amplificatio haud paucis, in vesicula generatis. Aliquot eorum in ductu adhuc hærebant, nucis avellanæ magnitudinem æquantes, molles tamen, et ductus se aliquo modo accommodantes. Erat autem ductus hepaticus de more constitutus.

ALTERA quam tecum, clarissime *Mortimere*, et si ita videatur, cum omnibus communicare placet, observatio de gibboso sterno agit, ab externa demum vi et incauta tractatione, non ab ipsa natura deformi configuratione producta. Non unica sed repetitis in diversis cadaverculis observationibus pectus perspexi præter omnem consuetudinem configuratum. Præ reliquis deforme erat pectus infantis octo hebdomadum, sequentem in modum: valde prominebat os pectoris gibbosum, quod ita a lateribus erat pressum, uti vix recederet a sellæ equinæ figura. Costarum suprema rum duabus vel tribus exceptis, partes anteriores intropressæ conspiciebantur intra pectus ab utroque latere, plures tamen sinistri lateris quam dextri, ubi debiles sunt valde atque molles, et cum cartilaginibus sterni committuntur. Et in primis cartilagines excavatam extus referebant figuram. Atque ita fere diffractæ adparebant costarum aliquot. Una tamen præ altera exilibus intervallis erat magis intropressa. Aperto demum pectore plures vidi costas, cavum pectoris versus gibbosas; quarum cartilagine tuberculis suis quasi nodo æ factæ erant, ideoque non parum contulerunt ad angustandum præter morem pectoris cavum. Unde facile erit cuique ad intelligendam

inrantum

infantum phthiſin, qua miſeri illi ita deformati vitam amiſerunt. Id porro pulmones, pleuræ circumcirca adnati atque infarcti, quales tunc reperi, ſatis confirmarunt. Cogitando inquirens in magni vitii hujus, aliquoties jam in diſſecandis infantibus a me obſervati, et quod in vivis etiam animadverti, cauſam, et ſedulo contemplando pectus hocce deforme, atque comparando illud cum annotationibus meis, ex aliorum cadaverculorum ſimilem in modum vitiatorum ſectionibus deſumtis, in veram tandem tantæ deformitatis et tam noxiæ cauſam incidi. Infantum ſcilicet curatricibus omnem hanc culpam, aio, eſſe adſcribendam. Non ſatis enim cognita eſt iis ſtructura tenellorum corpuſculorum plaſtica: nec debite perpendent luſus omnes, quibus vel placare moroſulos, aut geſticulatione vel ſaltatione exhilarare vivaciores infantulos conantur, unde diverſas excogitant tractationes. Noxia præ aliis ea eſt, quando ſiniſtræ manui ſuæ nates infantis imponunt, et antrorſum ita inclinatum paulum infantis truncum dextra ſua, pectori applicata, expanſis digitis ſuſtinent, atque ita ſubinde miſerum corpuſculum in altum tollunt, atque deorſum labens illud pondus omne manu ſuſtinent dextra. Eo enim haud raro fit, uti ſuffultæ manus veſtigia tenello pectori, et vi facile cedenti imprimantur. Antequam in dictam mox deformitatis illius cauſam inciderem, ad coſtarum foveas aliquot diſtinctas non attendi. Jam vero rite perpenſis omnibus certo comperi, eſſe illas depreſſiones ſeu foveas quinque curatricis, ſeu magis deformatricis, digitorum veſtigia, pectori infantis tandem impreſſa. Mea enim applicata pectori infantis manus dextra diductis pauxillum digitis exactè reſpondebat depreſſionibus illis: quarum

quatuor

quatuor erant in ſiniſtro pectore pro digitis, quinta vero eademque maxima dextrum deformabat pectus, pollicem recipiens. Quam itaque perverſus ſit ille, et deteſtandus tenellos infantes tractandi mos, ſatis ille frequens, ex ſupra dictis facile patebit, ſpero, cuique. Si vero ad illos perveniat hæc obſervatio, quod valde optarem, qui infantum curas gerunt, plures, puto, a vitio illo immunes præſtari in poſterum poterunt homines, ne prima ætate male tractati hoc vel alio modo non minus cauto, vel defigurentur; vel et tabe, vel alio morbo inde orto conſumantur. Simillimam narratæ obſervationem feci nupera hyeme in puella duorum annorum. Et uti jam monui in vivis etiam corporibus animadverti ſimilia. Cum *Rachitide* cæteroquin minime confundenda eſt deformitas iſta.

Dabam Caſſellis Jan. 31. 1747. Joh. Jac. Huber.

III. *The Operation of* Lithotomy *on* Women, *by Monſ.* le Cat. *M.D. & F.R.S.*

Tranſlated from the French *by* T. S.

Read April 6. 1749. THE lateral Way of cutting for the Stone, which I have uſed on Men ſince 1732, naturally led me, in the Year 1735, to cut the Widow *Neel*, a Farmer near *Yvetot* in the *Pais de Caux* in the ſame manner, as has been ſeen in the Obſervation. In this Operation the common grooved Staff ſerved me as a Director; and having